

toldo de Wyzenze notario, nostris fidelibus dilectis et quam pluribus aliis fide dignis. Actum et datum Misnae anno dom. millesimo trecentesimo sexagesimo octavo feria quinta proxima post diem assumptionis virginis gloriosae.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln der Burggrafen an einem Pergamentstreifen.

No. 582. 1368. 4. Sept.

Probst und Capitel entscheiden einen Zehntenstreit zwischen dem Vicar der Capelle aller Heiligen Günther Karas und dem Vorsteher des Hospitals Jos. von Liczzenicz.

Nos Heinricus praepositus, Nicolaus decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis recognoscimus et tenore praesentium publice profiteamur, quod cum inter honorabiles viros dominos Guntherum Karas vicarium perpetuum capellae omnium sanctorum in castro Misnensi prope ecclesiam Misnensem praedictam sitae ex una et Johannem de Liczzenicz magistrum seu rectorem hospitalis nostri in Misna parte ex altera super quibusdam decimis seu decimationibus, quas idem dominus Guntherus vicarius praedictus ad se et suam vicariam ipseque dominus Johannes magister hospitalis ad se et ad hospitale praedictum spectare et pertinere asserebant, quaestionis fuisset suborta materia, ipsi quoque coram suo iudice ordinario aliquamdiu mutuo disceptassent pro eisdem, nos de mandato et commissione reverendi in Christo patris et domini nostri domini Johannis saepedictae Misnensis ecclesiae episcopi accedente etiam voluntate et consensu partium praedictarum in nos arbitrantium et tamquam in arbitros seu amicales compositores compromittentium causam ipsam sopiendam assumpsimus et amicabiliter decidendam. Visis itaque diligentia cum exacta utrarumque partium praedictarum probationibus et munimentis, tractatibus variis in certo super hoc indicto capitulo ac deliberatione nobiscum desuper habitis, partes ipsas pacis et quietis commodo deinceps perfrui cupientes, ne sibi suique successores in posterum ullam super praedictis decimis suscitent alterutrum quaestionem, decernimus diffinimus et per viam amicabilis compositionis pronunciamus, decimas in villis Munen de decem et octo mansis et in Kirnen de tredecim mansis, quorum quilibet dabit singulis annis dimidium modium siliginis et unum modium avenae, ad dictum dominum Guntherum et ad vicariam suam, in villis vero Czoppun de tredecim et in Neskow de decem ac de allodio de sex, in Sornewicz de octo necnon in Jeres de quinque mansis, quorum quilibet similiter dimidium modium siliginis et unum modium avenae solvit annuatim, de villa quoque Dylow de allodio Friczoldi ibidem quatuor scocos utriusque siliginis scilicet et avenae ad dictum dominum Johannem magistrum hospitalis nostri praedicti et ad ipsum hospitale eorumque successores pertinere de cetero et spectare, sibi quoque per eorundem mansorum et allodiorum cultores annis singulis debere cum integritate persolvi. Ne igitur omnia et singula fluxu temporis labantur ab hominum memoria, quinimo perpetuae firmitatis robur obtineant, praesentes litteras capituli nostri sigillo appenso fecimus communiri. Datum Misnae anno domini M^o CCC^{mo} LXVIII^o. III^a die mensis Septembris.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel des Capitels an einem Pergamentstreifen.